



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Petri Leurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ  
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,  
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa  
Canonica Deductus**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1708**

593. An possit exigere subsidium charitativum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

hoc ipsum ex eo, quod Tridentinum disponens electionem Vicarii per Vicarium sede vacante faciendam non exclusit, quin possint constitui plures cum divisione jurisdictionis. Pignat. *loc. cit. num. 6.* prout id tradit Sbroz. *lib. 1. qu. 50. num. 3.* Garc. *part. 5. cap. 7. num. 36.* juxta dicta à nobis supra.

*Questio 589. Num Vicarius Capituli visitare possit diocesim sine speciali commissione Capituli?*

**R** Esp. De hoc dictum satis supra, ubi quaesitum, an id possit Capitulum.

*Questio 590. Num Vicarius Capitularis celebrare possit synodum sine speciali commissione Capituli?*

**R** Esp. Posse Capitulum per suum Vicarium celebrare synodum, ex Ventrigl. & alius dictum fuit supra, ubi an id competat Capitulo. Verum num id possit Vicarius ex generali commissione Vicariatus sine speciali Capituli mandato, non determinant illi Auctores, quia in re dicendum videtur, id eum posse sine speciali mandato, sicut absque illo visitare potest; cum visitare non minus sit inter ardua, quam cogere synodum; nec cogere synodum minus sit de lege jurisdictionis, quam visitare, lexque diocesana non minus urget unum, quam alterum; & tamen visitare potest Vicarius sine tali mandato: ergo & synodum cogere.

*Questio 591. Num Vicarius Capituli dare possit licentiam edificandi nova monasteria?*

**R** Esp. Id Vicarium non posse, expressè tenent Diana *p. 8. tract. 4. resol. 68. in fine.* Barbosa *jur. eccles. l. 1. c. 32. n. 60.* Pax Jord. *l. 12. tit. 2. n. 27.* pariter restantes, sic definitum à S. Congreg. Concil. *19. Febr. 1633.* Verum tamen legendus Fagn. *in c. non amplius. de institutionib. maxime à nu. 66.* ubi, quod servata forma, quam Clemens viii. praescripsit in Constitut. sua *99. edita 23. Jul. 1603.* (cujus contentum quoad praesens punctum vide apud eundem Fagn. *loc. cit. nu. 65.* uti & apud Dian. *loc. cit.* multos Auctores referentem) Conventus Mendicantium erigi possunt de licentia Ordinarii, nec opus sit licentia sedis Apostolicae; quem intellectum esse Concilio Trid. probaverit S. Congregatio, quae etiam tam se Secretario, quam anteaetis temporibus multas monasteriorum erectiones probavit ab Ordinariis factas absque licentia sedis Apostolicae. Quin etiam ait Fagnanus *n. 70.* hanc facultatem novum monasterium erigendi S. Congregatio nec denegaverit Vicario generali Episcopi ad id speciale mandatum habenti; nec forsitan Vicario Capituli sede vacante. Et propterea quoddam monasterium Fratrum S. Dominici ceptum edificari de illius licentia respondit finiendum esse, & ad finem perducti. Quae omnia (ut pergit Fagn.) cogunt me credere apocripham esse decisionem, quam referunt Campanilis & alii, cum praefertim loquatur de Monachis, qui nullo jure ardeantur ad obtinendam super hoc licentiam sedis Apostolicae; nec talem decisionem usquam

P. Levanii Tract. III. De Capit. sed. vac.

reperi in libris publicis S. Congregationis. Quae de Vicario Capitulari, si vera sunt, videtur is ad hoc non secus, ac Vicarius Episcopi speciali mandato Capituli egere.

*Questio 592. An Vicarius Capitularis possit licentiam dare novitio disponendi de bonis suis temporalibus?*

**R** Esp. Affirmative. Ventrigl. *ro. 2. annot. 15. §. 2. nu. 51.* ubi ait, posse id concedere Capitulum, vel ejus Vicarium, cumque id indistincte, & sub disjunctione dicat, videtur ad hoc non requirere quoad Vicarium speciale mandatum Capituli; sed neque id est ex arduis, aut singularibus. Vide quae hac in parte dicta sunt supra de Capitulo. Et sic in genere posse Capitulum, vel ejus Vicarium concedere omnes licentias, quas poterat Episcopus, ait *nu. 51.* Ventrigl.

*Questio 593. Num Vicarius Capituli exigere possit subsidium charitativum?*

**R** Esp. Id eum posse, sed non nisi de mandato Capituli, Ventrigl. *loc. cit. nu. 48.* Vide de hoc dicta supra, ubi quid in hoc puncto possit Capitulum.

*Questio 594. Num Vicarius Capituli supplere possit consensum ad hoc, ut Ecclesiastici graventur gabellis, & exactionibus?*

**R** Esp. Negative. Pagn. *in c. novit. ne sed. vac. aliquid innovetur. nu. 21.* ubi: ad hujusmodi onera imponenda praeter alia exigitur deliberatio & consensus Episcopi & Cleri. Unde non sufficit consensus Vicarii Capitularis. Item *nu. 23.* ubi: renuntiationi immunitatis hujusmodi (intellige ab exactionibus) non potest Vicarius Capituli assensum praebere, quia Capitulum sede vacante non succedit in potestate alienandi jura & bona ecclesiae, &c. Vide dicta hoc in puncto de Capitulo.

*Questio 595. An Vicarius Capituli immutare possit voluntates ultimas in casibus, in quibus id potest Episcopus?*

**R** Esponder pariformiter de hoc quoad Capitulum, & ejus Vicarium Ventrigl. *loc. cit. n. 45.* adeoque videtur id posse sine speciali Capituli mandato.

*Questio 596. An possit approbare confessarios, & approbatos revocare, & ubi inhabiles, reprobare?*

**R** Esp. ad primum affirmative; constituere enim & approbare confessarios est jurisdictionis ordinaria, quam passim in hoc puncto exerceri videmus sine speciali mandato à Vicariis Episcoporum. Poterit itaque Vicarius Capitularis quoad haec omnia sine speciali mandato Capituli, quae supra diximus posse in hoc puncto Capitulum per suum Vicarium, adeoque etiam, ut expressè in terminis de Vicario Capitulari Ventrigl. *loc. cit. n. 44.* poterit is facultatem concedere confessariis absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reserva-

V

ris,